9 / sch.

IN DOCTRINAM CATHOLICAM

DE CIVILI ROMANI PONTIFICIS PRINCIPATU

FRIDERICI MARIAE NOB. ZINELLI

EPISCOPI TARVISINI

AD SUUM CLERUM

EXPLANATIO



TARVISII
TYPIS ANDREOLAE - MEDESIN
1864.

Digitized by Google

216

Digitized by Google

FRIDERICUS MARIA NOB. ZINELLI

Dei et Apostolicae Sedis Gratia

EPISCOPUS TARVISINUS

Multa quidem, Venerabiles Ecclesiastici, eaque salutaria monita Nostro versantur in animo, quae, effuso paterni cordis affectu, Vobis tradere cuperemus; at, nimii ne simus, ea tantum proponemus quibus Vos obtemperantes, et maximo Nobis eritis solatio, et uberrimum fructum feretis. Quid jam Clerus Tarvisinus de Civili Romani Pontificis Principatu sentiat, quid de impiorum machinationibus ipsum Principatum subvertere molientium ad spiritualem Sanctae Ecclesiae potestatem labefactandam, potissime testatum fecit tum declaratione, Summo Pontifici quam cito deferenda, qua Nobis hac super re sciscitantibus statim uno ore concinuit, tum emptione schedarum quibus per aleatoriam sortitionem ea ducuntur munera, quae Fideles ad gloriosam Christi Vicarii inopiam levandam ultro contulerunt. Neque a sensu Cleri, egregio studio ac fide erga Summum Pontificem praeeuntis, ablusit populus, cui nihil potius fuit, quam ut per collatitiam stipem, vel per schedarum emptionem Patris communis commoditati ac solatio prospiceret.

Sed quominus gaudium Nostrum plenum sit, non defuere (revera admodum pauci, ita ut moralem unanimitatem aliorum minime infirment) qui non pravo animo, ut spes bona Nos tenet, sed potius captiosis decepti argumentis communi ceterorum suffragio non sunt adstipulati. Hos ad germanam doctrinam informare, et praecavere ne

Digitized by Google

215

virus alios inficiat Nostrum est, qui breviter, clare et perspicue quaenam sit sana doctrina de Civili Pontificum Potestate, et de illa recte sentire quantum Fidei intersit, explicare satagemus.

Astuti deceptores, ut catholicos animos irretiant, clamitare non cessant in quaestione de Civili Romani Pontificis potestate nullam esse sententiam quae dogma Fidei sit, proinde nihil quod Fidei intersit, unde concludunt posse unumquemque tuta conscientia in suo sensu abundare; idque ad conscientias delicatulas sedandas a Sanctissimo et mitissimo Pontifice Pio Papa IX fuisse solemniter declaratum. Ut fucum faciant imperitis verba ipsa in medium afferunt, quae a praelaudato Pontifice prolata fuerunt, die vigesima quinta Martii in Ecclesia S. Mariae super Minervam. »La S. Sede non sostiene come dogma di fede il dominio temporale, ma dichiara che il dominio temporale è » necessario ed indispensabile, finchè duri questo ordine » di Provvidenza, per sostenere la indipendenza del potere Spirituale. »

Illud in primis prae oculis habeat Ecclesiasticus, eum qui dominium temporale spirituali repugnare asserit, haereticam doctrinam, jamdudum damnatam, promere. Haec autem frequentior est doctrina illorum, qui temporalem Sanctae Sedis potestatem aggrediuntur.

Qui autem dominium temporale certis temporibus a Providentia dari, non ut per ipsum Ecclesia probetur (ut effutire aliqui ausi sunt), sed ut libertati provideatur exercitii spiritualis potestatis, inficiaretur, is *erroneam* sententiam proferret; *erroneitatis* autem nota, post notam haereseos, quacumque alia gravior est; utpote quae illas afficit propositiones, quae aut indirecte aut per consequentiam legitimam dogma ipsum feriunt; isque igitur, qui scienter praedictam doctrinam sustineret, reus esset peccati lethalis, et gravissime suspectus de haeresi semper, aliquando etiam haereticus haberetur. Hoc autem planum est; nam temporalem potestatem fuisse a Providentia divina, in ali-

quibus rerum adjunctis, datam Ecclesiae, ut sartatecta servaretur spiritualis, clare totus, qua late patet, Episcopatus suo Capiti, nempe Romano Pontifici, concinens stabilivit; id autem, in quod tota Ecclesia (nam sive congregata, sive dispersa eadem auctoritate pollet) consentit, cum Ecclesiae promissa fuerit a suo Fundatore usque ad fines saeculorum adsistentia Spiritus Sancti, ita certum est, ut qui Eam falli, aut fallere posse effutiret, etiamsi aliquam doctrinam, veluti Fidei dogma Ecclesia non enuntiet, is certe indirecte adsistentiam ipsam Spiritus Sancti Ecclesiae promissam negaret, quod perinde esset ac dogma inficiari.

Adde etiam in comperto esse illam doctrinam, veluti erroneam a Theologis traduci, quae unanimi Theologorum sententiae adversatur; quae unanimitas, ut in ceteris, moralis intelligenda est, non materialis et numerica; esse autem Theologos Catholicos, qui temporalem S. Sedis principatum aggrediantur, si excipias Schismaticos, aliosque hujus furfuris homines, non est quod sibi Novatores blandiantur, dum scimus ipsos etiam hostes Ecclesiae fassos fuisse, se principatum temporalem aggredi, ut recta via ad subvertendum Principatum Spiritualem pervenirent.

Inani autem labore, qui catholici nomen ambiunt, obtruderent, se in rebus Fidei et morum cum Episcopatu conjungi, in ceteris vero libertate sua se frui velle.

Ecclesia et in iis quae spectant regimen suimetipsius infallibilis est, ac proinde cum fidelis profitetur se adhaerere Ecclesiae in iis quae spectant ad Fidem et mores, adhaerere debet et dictis hujus Magistrae, cum de disciplina generali aut de suo regimine loquitur.

Adde nullo modo fas esse Catholico, cum Ecclesia judicium de aliquo negotio profert, Illi regerere suos limites Ipsam praetergredi; alias, hac data porta, auctoritas Ejus tota pessumdaretur: adde etiam in humanis judici ipsi, cui de negotio aliquo jus dicendum est, de sua competentia judicare jus esse. Si judex inferior est, ejus de competentia judicium appellabile est a parte quae se laesam existimat;

Digitized by Google

VI
minime vero, si judex supremus sit, quod proprium Ecclesiae est, ad quam tantummodo in terris de veritate ferre judicium spectat. Eadem omnino dicenda sunt, cum quaeritur num opportunum vel etiam *relative* necessarium sit dominium temporale hoc vel illo tempore, in aliquibus rerum adjunctis. Si Ecclesia *hic et nunc* utile et necessarium affirmet, illud aut nocivum aut inutile putare, non tantum temerarium (quod nemo est qui non videat), sed et erroneum dicendum erit, cum id adsistentiae Spiritus Sancti, quam Ecclesiae pollicitus est Christus, adversetur. Insaniae autem proximum est existimare plus luminis supernaturalis ad cognoscendum quid Ecclesiae Dei conveniat privato homini communicari, quam Episcopis universis Pontifici Romano suo Capiti adhaerentibus.

Quae de potestate temporali diximus prorsus dicenda sunt de potestate censuris plectendi invasores ejusdem dominii. Hanc potestatem denegare Ecclesiae haereticum est; si vero in quaestionem vocetur num opportunum sit in praxi, his aliisque rerum adjunctis, aut censuris plectere, aut declarare censuris obnoxios invasores temporalis dominii, nemini dubium temerarium esse, quod a Pontifice peractum et ab omnibus Episcopis adprobatum fuit, veluti inopportunum, eoque magis veluti vituperabile insectari. In re enim magni momenti judicio totius Ecclesiae, suum praeponere, etiamsi de facto dogmatico non agatur, superbiae intolerabilis indicium est, nam cum agatur de doctrina morum illud obtinet: Ecclesiam nec tolerare nec tacere, nec eo minus adprobare, quod rectum haud sit.

Quae cum ita sint Nos, quibus (cum a Spiritu Sancto, ut quilibet Episcopus in Ecclesia ipsi a Sede Apostolica commendata, positi simus regere Ecclesiam Dei quam acquisivit Sanguine suo) incumbit oves Nobis commissas a venenatis pascuis arcere, praecipimus; ne ullus audeat directe, aut indirecte contrarios sanae doctrinae, nempe de temporali dominio a Providentia S. Sedi Apostolicae concesso, aut de potestate Ecclesiae censuris mulctandi invasores dominii

Digitized by Google

temporalis, sensus enunciare. Cum enim res sit non de opinionibus de quibus possit dici: *Unusquisque in suo sensu abundet*; sed de sana doctrina ab Ecclesia universa constabilita, Nos debitis plectemus poenis, qui auderet in vulgus spargere errores illi contrarios. Si vero Ecclesiasticus sit, in quocumque dignitatis et honoris gradu locatus, is poena suspensionis non solum a suo officio et beneficio, sed etiam a divinis, si Nobis constet eum voce aut scriptis aut alio modo, directe vel indirecte sensus suos sanis doctrinis de temporali potestate S. Sedis, aut de poenis contra invasores Dominii temporalis S. Sedis latis oppositos patefacere, plectendum se a Nobis esse noverit. Sententia enim illorum qui dictitant Sanctissimum Pontificem *dominium temporale non esse dogma Fidei* asseruisse, ut tranquillitati conscientiae contrarie sentientium consuleret, tam futilis immo absurda est ut refutatione non indigeat.

Ut autem sensus quo Pontifex protulit illa verba innotescat, rerum adjuncta recolenda sunt. Temerarius, nescio quis, nuperrime effutierat Episcopos absurde sustinere *dominium temporale S. Sedis esse dogma Fidei*. Putida haec erat equidem calumnia: id enim nulli defensori S. Sedis unquam in mentem venit. Immo Nos ipsi cum auctor hypocritae libelli: *Il Papa e il Congresso* incredibili contradictione effutiisset *essentialem* esse principatum civilem Romano Pontificatui, nullis aliis argumentis, quam vocatis ad risum amicis, refutandum esse existimavimus. Quis enim catholicus dixerit dogma Fidei esse dominium temporale S. Sedis, quasi per tria et his amplius saecula Ecclesia manca fuerit, ob carentiam dogmatis Fidei seu dominii temporalis? quasi, exturbato per impios a suis dominiis temporalibus Romano Pontifice, Ecclesia a dogmate Fidei exturbata corrueret necessario, perinde ac quomodo dogma Fidei inscindibile est, sic *inscindibilitas* essentialis temporali dominio communicetur?

Haec absurda a sano et catholico Theologo nunquam prolata sunt. Sed in his nihil commune est cum sententia

de providentialiter data potestate temporali Summis Pontificibus; quamvis enim potestas temporalis nec sit, nec possit esse dogma Fidei, eo absurdo sensu quem supra diximus, stat aeque firmum, et esse dogma Fidei nihil repugnare potestatem temporalem spirituali, et erroneam esse et indirecte Fidem ferire sententiam, quae inficiatur esse a Providentia, in multis rerum adjunctis, datum principatum civilem ut sartatecta servetur potestas spiritualis; temerarium, immo etiam erroneum esse asserere *hic et nunc* inopportunum, aut nocivum esse Principatum civilem, postquam peropportunum a tota Ecclesia judicatum est; haereticum esse qui negaret potestatem Ecclesiae plectendi censuris invasores dominii temporalis; temerarium esse, qui conveniens fuisse negaret *hic et nunc* exercitium hujus potestatis, post iudicium a tota Ecclesia Catholica prolatum. Haec et alia hujusmodi amice consistunt cum *negatione* absurdae sententiae calumniose Theologis Catholicis tributae, quam repudiavit in suo sermone Pontifex immortalis.

Ad alios sensus verba Pontificis detorquere est pharmacum in venenum convertere.

Pauca verba Nobis dicenda sunt etiam de alia, sit venia verbo, inani objectione, quam Nobis quidam obtruserunt. Assertio infallibilitatis Ecclesiae, ajunt nonnulli, in stabilienda temporali potestate Summi Pontificis, tuis doctrinis minime consona est. Tu enim aliis in operibus tuis asseris, in iis, quae veluti rem Fidei Concilia Oecumenica docent, infallibilitate pollere; in aliis quae incidenter et non data opera aliquando proferunt, sequi etiam sententias probabiliores, ac proinde non eamdem, quoad haec postrema, quam in illis quae Fidei esse declarant, reverentiam apud ipsos Catholicos mereri. Mirum quod ista objiciant. Nam primo, demus Nos in aliquibus scriptis triginta duobus et amplius ante annis vulgatis aliquid minus ad trutinam vocatum asseruisse, de re non in quaestionem adducta, ac proinde de qua liberius ac minus accurate loquuntur scriptores, dum non timent falsae interpretationi se exponere; quid inde

Digitized by Google

concludi posset, nisi Nos paratissimos esse debere ad retractandum et, si opus esset, corrigendum quod minus proprie a Nobis fuisset prolatum? at ex hoc minime concludi posset contra sanas doctrinas superius expositas: absit enim a Nobis, ut amoris proprii aestu abrepti in damnum veritatis nostra scripta defendere velimus.

Sed ut verum fateamur, non videmus qua ratione ex illa doctrina de Conciliis aliquid in praesens derivari possit, quod contradicat sententiis Catholicae Ecclesiae a Nobis superius explicatis.

Minime enim hic agitur de aliqua sententia *non data opera seu incidenter*, ut aiunt, prolata, quae scopum definitionis non attingat, in qua docuimus cum Theologis sanae doctrinae, interdum ipsa Concilia posse probabiliores sententias adoptare, quin auctoritatem Fidei ipsis tribuere intendant. Hic contra agitur de doctrina explicite tradita et principaliter intenta a Summis Pontificibus et ab unanimi Episcoporum voce. Asserere sententiae hujusmodi falsum subesse posse est recta adsistentiam Spiritus Sancti promissam Ecclesiae impugnare; est ipsam indefectibilitatem Ecclesiae tollere.

Hanc doctrinam breviter explicatam, ex Pontificiis oraculis, Episcoporum sententiis, concordi Theologorum suffragio haustam, totiusque Ecclesiae sensu probatam, Vobis, tamquam tesseram quamdam proponimus, cui inhaerentes in tanta ingeniorum et animorum depravatione, tantaque errorum copia hac nostra aetate grassantium, securi incedere, firmi in veritate consistere, et adversariorum objectiones libera voce refellere sciatis. Quotquot estis igitur in sana doctrina radicati et confirmati, Venerabiles Ecclesiastici, Vos iterum compello, gaudium meum et corona mea. Ne terreamini inanibus audacium minis; » et quis est qui vobis noceat, si boni aemulatores fueritis? Et si quid patimini propter justitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, et non conturbemini. » (Petri Epist. I. Cap. III. 13, 14) Si vos odit mundus, nolite mirari; sed respicite in auctorem et

Digitized by Google

x

consummatorem Fidei Jesum Christum, quem mundus priorem odio habuit, et quem sequi gloria maxima est; neque ullo vento doctrinae huic contrariae, quacumque specie propositae, unquam Vos circumferri patiamini; quinimmo unanimi ore et supplicatione deprecemur, ut qui est Lux illuminans omnem hominem, fratres nostros a vera sententia aberrantes, superno lumine perfundere dignetur, ne caeci fiant duces caecorum; sed, caligine discussa, ad veritatis portum se recipiant, et Deus patientiae et solatii det cunctis idipsum sapere in sanctissimum Patrem Catholicum secundum Jesum Christum, ut quasi acies ordinata incursus hostium Ecclesiae strenue propulsare valeamus.

Et pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras in Christo Jesu. (Ad Philip. IV. 7.)

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

226

Digitized by Google